Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1059
Quelle:
Copyright:

ne de padua (Ord. S. Benedicti) *deputatus monasterio. S. Seuerini de neapoli: signatus numero* 92. Atque ex hoc Monasterio dono oblatus est *Carolo* VI. Rom. Imp. Continet vero is Partem I. *Lectionarii* seu *Homiliarii* a Dom. I. Adventus usque ad Lectionem IV. Sabbati sancti, in qua deficit. Per adventum e Libris sacris legitur *Isaias*, Dominica I. post Epiphaniam *Paulus* incipit, Dominica in Septuagesima *Genesis*, Feria V. Hebdomadae majoris ponuntur *Lamentationes Jeremiae*. Evangelia plerumque cum iis coincidunt, quae hodie in Officiis ecclesiasticis leguntur. Homiliae iis subnexae e variis PP. depromtae sunt, eaeque admodum prolixae. Errasse in eo videtur Librarius, quod a *fol.* 1. usque ad 16. Homilias praemisit, quae post *fol.* 16. mox dictum suis locis inseri debuissent. Ita cum *fol.* 16. legatur Titulus: *Dominica. I. de aduentu domini*, et sequatur Lectio Isaiae: *Uisio quam vidit ysaias filius amos* &c. quae ad eam Dominicam pertinet, *fol.* 1. reliquae Lectiones ad hanc pertinentes Dominicam praeoccupantur hoc rubro: *Dominica Prima De Aduentu domini. Sermo Sancti Augustini. Lectio prima hoc est uisio isaias* (sic) *quam uidit. Require in antea.* Dicere debebat: *Require posterius.* Atque confusionem ejusmodi in Codice ceteroquin eleganter exarato mirari subit. Lectiones porro homileticas in Evangelia quod adtinet, monent illae *Homiliarii* ab *Alcuino* et *Paulo Diac.* congesti, non quod eaedem sint, sed quod eodem modo e diversis, puta: *Augustino*, *Haymone*, quem Noster *Agimonem*, vel *Agymonem* nuncupat, unde *Codicem* in *Italia* scriptum habeo, *Caesario*, *Gregorio* M. *Beda*, *Leone* M. *Fulgentio*, *Ambrosio*, *Job. Chrysostomo*, *Origene*, *Maximo* et *Hieronymo* collectae. Quaedam ἀνεπιγραφοι sunt, quas non difficulter suis reddas autoribus, aliae ψευδεπιγραφοι, qualis vel prima *Augustino*, ut dixi, tributa, quae incipit: *Propitia Divinitate Fratres dilectissimi iam adueniunt dies. in quo* (sic) *natalem domini saluatoris cum gaudio desideramus caelebrare. Et ideo rogo* &c. atque mutato tantisper ingressu rejecta legitur in *Adpend.* T. V. edit. *Maur.* ubi *Sermo* CXV. et *Classis* 2. seu *de Tempore* I. inscribitur, olim etiam inter *Ambrosianos* habitus. Lectiones tamen quasdam genuinas ex iis restitui posse, non dubitem. Festa SS. in hac *Parte I.* nulla praeter *Purificationem fol.* 57. p. 2. et *Annunciationem Sancte Marię fol.* 63. Unde nullae Historiae seu *Acta* praeter quam *in Natali Sancti Johannis Euangelistę fol.* 34. Horum initium est: *Secundam post neronem persecutionem christianorum domitianus exercuit* &c. Edidit spuria haec Commenta sub nomine *Melliti Episcopi Laudociae* in praevio suo ad *Martyrologium D. Hieronymo tributum Indiculo de festis Apostolorum Diebus*, *Lucae* 1668. p. 130. f. *Franc. M. Florentinius*, imperfecta tamen, defuit enim in ejus *pervetusto*, ut vocat,